



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XI. De vers. 11. Quoniam Angelis suis mandavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

NOTA. Ze-
lum Regula
in viro San-
cto, qui nec
corporales la-
bores detre-
tat, si vires
corporis ser-
uent.

voluntate venerabilium Fratrum & Coabbatum nostrorum, quid id nobis etiam injungunt, quod tamen sibi quidem passim nolunt omnino licere. Nempe aliam mihi rationem & singularem necessitatem esse noverunt. Neque enim modò loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud fortè vobis efficacius verbum foret, sed & conscientia mea magis acceptum. Cæterum quando id mihi peccatis meis exigentibus, & onerosi huius (ut ipsi scitis) tam multiplici infirmitate corporis, & ipsa quoque temporis necessitate negatur: utinam dicens & non faciens in regno Dei, vel minimus merear inveniri, Amen.

S E R M O X I.

De ψ . XI. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

Scriptum est, & veraciter scriptum^a; quia misericordia Domini, quod consumpti non sumus, quòd non tradidit nos in manus inimicorum nostrorum. Vigilat super nos indefessus, & pervigil ille singularis elementia oculis, non dormit neque dormitat qui custodit Israel. Id quidem necesse. Non enim dormit, neque dormitat qui impugnat Israel. Et sicut ipse sollicitus est nostri, & ipsi cura est de nobis: sic ille sollicitus est ut nos mactet & perdat: & una ei cura, ne forte qui averfus est revertatur. Nos autem aut non attendimus, aut minus attendimus reverentiam præsentis, protegentis custodiam, beneficia largientis, ingrati gratia, imò tam multiplicibus gratiis quibus prævenit nos, & subvenit nobis. Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per Angelos visitat, nunc per homines instruit, nunc etiam consolatur, & erudit per scripturas. Quaecunque enim scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus^b. Bene ad doctrinam, ut per patientiam speremus. Si quidem (ut alibi dictum est) doctrina viri per patientiam noscitur, sed & patientia probationem operatur, probatio vero spem^c. Quid nos soli nobis non adsumus, quid soli negligimus nos ipsos? An ideo dissimulandum nobis, quia undique subvenitur nobis? Imò verò propterea studiosius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in celo pariter & in terra sollicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur: non tam multiplex nobis custodia, nisi ob multiplices insidias poneretur.

Felices proinde fratres nostri qui jam liberati sunt de laqueo venantium, qui de tabernaculis militantium ad atria quiescentium transferunt, malorum timore sublato, in spe singulariter constituti. Unum istorum imò

^b Rom. 15. a

^c Prov. 19. c

^d Rom. 5. a

rum imò universitati dicitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sane considera non ad hominem qui secundum carnem vivit, sed ad eum qui in carne degens secundum spiritum ambulat, hanc fieri promissionem. Siquidem non est distinguere inter illum & tabernaculum illius. Confusa in eo sunt omnia tanquam in filio Babylonis. Denique huiusmodi homo etiam caro est, nec in eo spiritus manet. Ubi autem non fuerit spiritus bonus, quando deerit malum? Porro ubi malum, flagellum quoque appropinquet, necesse est.

*Semper malum
pœna comita-
tur.*

Semper enim malum pœna comitatur. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Magna promissio, sed unde id sperare licet? Quomodo malum & flagellum evadam, quomodo effugiam, quomodo elongabo ut non appropinquent mihi? Quo merito, qua sapientia, qua virtute? *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* In quibus omnibus viis? Quibus declinas à malo, quibus à ventura ira. Multæ sunt viæ, & genera multarum viarum: magnum profecto periculum viatori. Quàm facile in multarum occursum erabit in via sua, qui viarum discretionem caruerit. Nam neque Angeli mandatum, ut in omnibus viis custodiant nos, sed in omnibus viis nostris. Sunt autem à quibus, & in quibus oporteat custodiri.

Scrutemur proinde vias nostras, Fratres, etiam vias dæmonum: vias quoque beatorum spirituum, & vias Domini investigemus. Et quidem supra me est quod incipio, sed adjuvabitis orationibus vestris, ut aperiat mihi thesaurum intelligentiæ suæ, & voluntaria oris meis beneplacita faciat sibi Deus. Viæ igitur filiorum Adam in necessitate & cupiditate versantur. Ab utraque siquidem ducimur, & ab utraque trahimur: nisi quòd videmur magis urgeri necessitate, trahi cupiditate. Et necessitas quidem specialiter corpori tribuenda videtur. Nec simplex illa est, sed anfractus habens plurimos, plurimæque dispendia: nam compendia pauca admodum, si qua tamen. Quis hominum nesciat, quòd necessitas hominum revera quàm multiplex sit? Quis sufficiat, quàm sit multiplex, explicare? Ipsa nos erudit experientia, ipsa vexatio dat intellectum. In his quisque docetur quàm necesse habeat clamare ad Dominum, non de necessitate, sed de necessitatibus meis erue me. Nec modo ab hac via necessitatis, sed ab ea quoque quæ cupiditatis est optabit educi, quisquis non furda aure monita Sapientis exceperit. Quid enim ille ait? *A voluntatibus tuis avertere.* Et item. *Post concupiscentias tuas non eas.* Siquidem è duobus malis longè melius est in necessitate gradi, quam in cupiditate. Multiplex illa, sed ista amplius per omnem modum, imò ultra omnem modum multiplicior invenitur. Rex cordis est ista cupiditas, propterea

*Varia via ex-
penduntur.*

*Primo, Via
hominum Ne-
cessitas & cu-
piditas.*

Psal. 24. d

f Eccl. 18. d

tantò maior, quantò anima plus est quàm corpus. Denique hæ sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, sed finem non habent nisi cum demergunt in profundum inferni. Si inveniisti vias hominum, illud quoque considera, ne fortè de his dictum sit *g*. *Contritio & infelicitas in viis eorum*; ut sit contritio in necessitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas? id est non felicitas, ut putatur. Quid enim si cui fortè videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupiat? Eo ipso infelicior est, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea. Væ filiis hominum ab hac felicitate falsa atque fallaci. Væ qui dicit, quia dives sum, & nullius egeo: cum sit pauper & nudus, & miser & miserabilis. Et necessitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia & oblivione procedit. Idcirco alienum mendicat anima, quod oblita sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quòd minimè cœlestia meditetur.

g Psal. 13. b

Nihil infelicius felicitate malorum.

2. Væ demonum.

Præsumptio & obstinatio.

b Isaia. 14.

Cave has vias o homo.

Gradus in præsumptione & perditione.

Videamus & Dæmonum vias. Videamus & caveamus, videamus & fugiamus eas. Siquidem viæ illorum præsumptio & obstinatio. Scire vultis unde id sciam? Considerate eorum principem, qualis ille est, tales & domestici eius. Considerate viarum ipsius principia, si non manifeste in immanissimam statim præsumptionem profilierit dicens *b*. *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo*. Quam temeraria, quamque horrenda præsumptio. Nunquid non illic ceciderunt, omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare propter præsumptionem: stare non potuerunt propter obstinationem: qui cecidit, non adjiciet ut refurgat. Ex hac namque spiritus vadens, ex illa non rediens est. Et mira quidem præsumptio Dæmonum, sed non minus mira obstinatio est: quòd superbia eorum semper ascendit, propterea non est illis commutatio. Quia enim converti noluerunt à via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Quam perverso & everso sunt corde filii hominum, quicumque sectentur vestigia Dæmonum, ingrediuntur Dæmonum vias? Hæc enim tota adversum nos spiritualium colluctatio nequitiarum est, ut nos seducant, ut nos inducant in vias suas, ut deducant in eis, perducant ad destinatum finem qui paratus est eis. Fuge homo præsumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maxime vitis gaudet in seipso expertus quàm difficile possis ab hæc tanta voragine respirare.

Nolo autem ignorare vos, Fratres, quonam modo descendatur, imo cadatur, in illas. *Primus* enim, ut interim occurrit, gradus descensionis huius, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis; dum

In Psalmum XC. Qui Habitat, Sermo XI. 567

dum sibi parcens, sibi blandiens, ubi persuadens homo aliquid se esse cum nihil sit, jam ipse se seducit. *Secundus gradus*, ignorantia sui. Ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizomata foliorum, quid superest nisi ut vulnera tecta non videat, præsertim cum ad hoc solum texerit ne videret? Ex hoc tandem fit ut etiam alio revelante, vulnera non esse contendant conversus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Atque is quidem *tertius gradus* est admodum vicinus, imo contiguus præsumptioni. Quid enim mali jam actitare vereatur, qui præsumit & defendere? Cæterum difficile hic hærebit in tenebris & lubrico, præsertim cum non desit etiam Angelus Domini malus persequens & impellens. Itaque *quartus gradus*, vel quartum potius præcipitium contemptus est; ut quemadmodum scriptura dicit *Impius cum venerit in profundum malorum contemnat*. Ex hoc & deinceps magis ac magis super eum urget puteus os suum, dum videlicet eiusmodi animam contemptus tradit impoenitentia, impoenitentia obstinatione firmatur. Hoc est jam peccatum, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittitur: quia cor durum & induratum, nec timet Deum, nec hominem reveretur. Qui sic in omnibus viis suis adhæret diabolo, manifeste factus est unus spiritus cum eo. Et viæ quidem hominum quas superius demonstravimus, ipsæ sunt de quibus dicitur *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*: & quia humanum est peccare. Porro vias diabolicas à natura hominis alienas esse quis nesciat, nisi quòd in nonnullis ipsa sibi consuetudo induisse naturam videatur? Cæterum etsi quorundam hominum sit, non humanum tamen, sed diabolicum est in malo ipso perseverare.

Quæ verò sunt sanctorum Angelorum viæ? Profecto illæ quas Unigenitus enarravit, dicens *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super Filium hominis*. Ascensio igitur & Descensio viæ illorum. Ascensio propter se; descensio vel potius condescensio propter nos. Sic beati illi spiritus ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum eius, descendunt ad nutum eius; quoniam Angelis suis mandavit de te. Nec tamen vel descendendo visione gloriæ fraudantur: quia semper vident faciem Patris.

Puto & vias Domini vultis audire. Multum præsumere videor, si me illas promiserò ostensurum. Legitur autem de ipso *Quoniam docebit nos vias suas*. Cui etiam alteri crederet? Docuit itaque vias suas cum aperuit labia Prophetæ, ut diceret *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*. Ita ad singulos, ita ad omnes communiter venit; in misericordia scilicet & veritate. Ubi enim multa jam fuerit de miseratione præsum-

1. Dissimulatio propria infirmitatis.

2. Ignorantia sui.

3. Excusatio peccati.

4. Contemptus.

Prov. 18. a

1. Cor. 10. c

Via Angelorum Ascensio & Descensio.

* I Ioan. 1. g

Via Domini misericordia & veritas.

m Psal. 24. b

& Mich. 4. a

* n Pl. 24. b

*Felix & iu-
cunda copula
misericordiae
& veritatis
divinae.*

o Pſal. 39. c
p Pſal. 25. a
q Pſal. 88. b

r Pſal. 83. d

*Iudicium fu-
turum non
erit ſine mi-
ſericordia.*

*ſ Abac. 3. b

† Pſal. 102. c

u Pſal. 116.

z Ioan. 8. f

γ Ibid.

*Diabolo obſti-
natio viam
miſericordiae
intercluſit.*

præſumptio, ſed oblivio veritatis, non continuo ibi DEUS. Sed neque ubi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria miſericordiae conſolatio. Nam neque veritatem tenet qui miſericordiam (ubi vere eſt) non agnoſcit, nec vera eſſe ſine veritate miſericordia poteſt. Itaque ubi Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, ſeſe etiam juſtitia & pax oſculantur; nec iſ abeſſe poteſt, cuius in pace factus eſt locus. Quanta audivimus & cognovimus (ſiquidem patres noſtri annunciaverunt nobis) ſuper hac copula tam felici Miſericordiae & Veritatis? *Miſericordia tua & Veritas tua ſuſceperunt me*, ait Propheta ^o. Et alio loco ^p: *Miſericordia*, inquit, *ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua*, ſed Dominus ipſe de eo: *Veritas mea & miſericordia mea cum ipſo* ^q.

Sed conſidera etiam manifeſtos adventus Domini, quemadmodum ſcilicet in eo qui jam præſumptus eſt, miſericordem teneas Salvatorem. Porrò in eo qui in fine promiſſus eſt, veracem ſuſtineas retributorem. Nam & hinc fortè videbitur dictum ^r: *quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit dominus*. Quamvis & in priore quoque adventu recordatus ſit miſericordiae ſuae, & veritatis ſuae domui Iſrael: & in poſteriori licet iudicaturus ſit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua: non tamen futurum iudicium fiet ſine miſericordia, niſi forte ei qui non fecerit miſericordiam. Hæc ſunt etenim æternitatis itinera, de quibus apud Prophetam ſic habes: *Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius*. Ad manum eſt unde id facillime probare poſſim. Siquidem *miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum* [†]. Et *veritas Domini manet in æternum* ^u. Ab his itineribus incurvati ſunt colles mundi, ſuperbi Dæmones, principes mundi huius, tenebrarum harum: qui viam veritatis & miſericordiae nescierunt, neque meminerunt ſemitarum eius. Quid illi & veritati, qui mendax eſt & pater eius? Denique habes manifeſtè de eo ſcriptum: *quoniam in veritate non ſtetit* ^z. Quam vero longè fuerit à miſericordia, etiam inſlicta nobis ab illo miſeria noſtra teſtatur. Quando ille unquam miſericors fuit, qui homicida ab initio erat ^γ? Poſtremo qui ſibi nequam, cui bonus? Quam nequiſſimus ille, qui nunquam ſuper propria iniquitate dolet, nunquam ſuper propria damnatione compungitur? Nimirum falſa præſumptio à via veritatis extruſit, crudelis obſtinatio viam miſericordiae intercluſit. Inde enim nec in ſe unquam aſſequi, nec à Domino miſericordiam conſequi poteſt. In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati ſunt ab itineribus æternitatis, dum à viis domini (quæ quidem rectæ ſunt) per anfractus ſuos diſtorta non tam itinera quàm præcipitia corruerunt. Quam vero prudentius atque utiliſ alii quidem colles ab his itineribus incur-

curvati ab his, tanquam ab eorum rectitudine dissidentes, sed quæ ipsa eos incurvaverunt itinera æternitatis. An non incurvatos jam cernere est colles mundi, dum sublimes quique ac potentes devota subjectione inclinantur ad Dominum, & eius vestigia adorant? Nunquid non incurvantur, cum ab ipsa sua perniciosa celsitudine vanitatis & crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur misericordiæ & veritatis?

Ad istas nimirum Domini vias non modo bonorum spirituum, sed etiam electorum viæ hominum diriguntur. Et primus quidem gradus misero homini emergenti de profundo vitiorum, illa est misericordia, qua miseretur Filio matris suæ, miseretur animæ suæ, proinde placens DEO. Imitatur enim qui huiusmodi est, magnum illud divinæ miserationis opus; compunctus cum eo, qui prior pro eo punctus est, moriens & ipse quodammodo pro salute sua, nec parcens sibi ipsi. Hæc miseratione prima excipit redeuntem ad cor, & hæc intra ipsa viscerum acitatur arcana. Superest ut via regia progrediatur & procedat usque ad veritatem: & quod sæpissimè commendamus vobis, cordis contritionem oris confessio comitetur. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Conversus ad cor parvulus fiat in oculis suis necesse est, sicut Veritas ait ^a: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Non ergo velit dissimulare, quod non valet nescire, quam ad nihilum redactus sit. Non confundatur in lucem prodere veritatis, quod non sine miserationis affectu viderit in occulto. Sic ingreditur homo misericordiæ vias & veritatis, vias utique Domini, vias vitæ; & fructus viarum, salus est viatoris.

Vias quoque Angelorum ad eandem nihilominus tendere manifestum est. Cum enim ascendunt ad contemplationem, inquirunt veritatem, de qua & desiderando fatiantur, & fatiando desiderant. Cum verò descendunt, faciunt nobiscum misericordiam, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Administratorii enim Spiritus sunt missi in ministerium propter nos ^b. Plane ministri nostri, non domini nostri. Et in hoc Unitæ geniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare ^c: qui stetit inter Discipulos tanquam qui ministrat. Fructus angelicarum viarum, quod ad ipsos spectat, sua ipsorum beatitudo, & obedientia charitatis: quod autem ad nos pertinet, inde quidem obtentus divinæ gratiæ, hinc verò custodia viæ nostræ. Siquidem Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus indigentis tuis, in omnibus desideriis tuis. Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, ut videlicet aut de necessitate in obstinationem, aut in præsumptionem de cupiditate prorumpas;

Sermones S. Bernardi.

Yyy

quæ

*Via hominis
quomodo imi-
tentur vias
Domini.*

*Cordis contri-
tionem oris
confessio comi-
tetur.*
^a Matt. 18. a

*Via Angelo-
rum quomodo
tendant ad
vias Domini
imitandas.*

^b Heb. 1. d
^c Matt. 20. d

Quomodo in-
curramus in
vias Dæmo-
nis.

Angelorum
ascensus &
descensus quo-
modo mutan-
dus.
d' Ghren. 3. c
e Psal. 4. a

Dei provi-
dentia in di-
spostione re-
rum.

f. 1. Cor. 5. b

quæ quidem jam non hominum, sed dæmonum viæ sunt. In quo enim tam facile inveniri solent homines obstinati, quam in eo, quod aut ad necessitatem pertinere simulant, aut arbitrantur? Quicquid moneas (ait ille) ego quod possum, possum, & non ultra possum. Tu si hic sis, aliter sentias. Unde verò in præsumptionem, nisi ex quodam impetu vehementioris desiderii proflimus?

Interim ergo mandavit Angelis suis DEUS, non quidem ut amoveant te à viis tuis, sed ut in eis ipsis te custodiant, & quasi per vias suas, vias tuas dirigant in vias ipsius. Quonam modo inquis? Nempe ut quod Angelus ex sola charitate purius agit, tu propria saltem necessitate compellus & admonitus, descendas & condescendas exhibere proximo misericordiam; & rursum cum eodem Angelo levans desideria tua, tota animi cupiditate ascendere studeas ad summam & perpetuam veritatem. Hinc enim monemur levare corda nostra cum manibus; hinc audimus quotidie, *Sursum corda*. Hinc quoque negligentes arguimur, & dicitur nobis: *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Exoneratum enim cor & leve, levatur magis, ut quærat & diligat veritatem. Nec mireris quod in vias Domini secum nos admittere, imò & immittere non dedignantur, qui custodire dignantur in nostris. Quam feliciter tamen in eis ipsi ambulant, quamque securus. Cæterum & ipsi quoque longe inferius ab eo qui Veritas ipsa, & ipsa Misericordia est, in misericordia & veritate versantur.

Quam vero congruè suis quæque gradibus, sibi que competentibus, disposuit DEUS. Summam rerum tenet ipse qui summus est, ipse supra quem nihil est: ultra quem nihil. Porro Angelos sanctos non in summo quidem posuit, sed in tuto: quippe ei qui in summo stat vicinius adherentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in summo, nec in tuto sunt, sed in cauto. Denique & in solido sunt, id est, in terra habentes locum imum, sed non infimum, unde & possibile & necesse sit, ut sibi caveant. Dæmones autem in pendulo huius aeris vagi ventosique vagantur. Indigni siquidem cælos ascendere, ad terram tamen descendere dedignantur. Et hodie quidem ista sufficiant, atque utinam eiusdem ipsius munere sufficientes ei gratias referre valeamus, ex quo sufficientia nostra est. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, nisi ipse dederit nobis, qui dat omnibus affluenter, & est super omnia benedictus in sæcula sæculorum, Amen.